



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae  
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia  
Tetrastichis distincta**

**Waterloop, Oliverius F.**

**Antverpiae, 1657**

S. D. N. Alexandro VII. Pontifici Opt. Max.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9689**

S. D. N.  
ALEXANDRO VII.  
PONTIFICI  
OPT. MAX.



EATISSIME PATER,

Ex COLLE SICHE-  
MIANO, Deiparæ mi-  
raculis inclyto, ad septenos Vrbis  
æternæ Colles venerabundus ac-  
cedit, ac sacratissimis Pedibus tuis  
advolvitur Senior iste noster Flo-  
rentius Waterloop, Congregatio-  
nis Oratorii Presbyter.

Gratiissimâ memoriâ menti no-  
stræ obversatur ille candidissimo

\* 3

cal-

calculo notandus dies, quo ante  
annos aliquot SANCTITAS Tua,  
tum Apostolicâ ad Pacem uni-  
versalem toto Orbe Christiano  
constituendam Legatione fun-  
gens, sacrâ in SICHEM Peregrina-  
tione suscepât, DIVAM nostram  
Thaumaturgam religiosissimè in-  
visit, & incomparabili cælestis in-  
genii sui monumento celebravit.

Suprà quām dici potest hono-  
rificum & gloriosum nobis duci-  
mus, BEATISSIME PATER, visere,  
posteriorisque visenda tradere loca il-  
la, quæ magnus Hospes impleve-  
ris, pacificisque gressibus ac vesti-  
giis signaveris.

Inter

Inter alia tunc Congregationi  
nostræ præstita beneficia , erudi-  
tum piúmque Senem hunc no-  
strum Florentium , ægrum licet  
& corpore malè affectum, privatâ  
salutatione ( qui summus illi ho-  
nor ) ac munusculo ( cui propriâ  
SANCTITATIS Tuæ manu inscri-  
ptum legimus : *Bono seni Para-*  
*lytico* ) dignum judicabas .

Abiit ille(uti speramus) ad Su-  
peros, nobisque, præter ingens sui  
desiderium , vitæque sacerdotalis  
exemplar exactissimum , reliquit  
magnum Schediasmatum Syl-  
vam , quorum singula præfere-  
bant breve Monitum aliquod ,  
car-

carmine expressum, idque è Vitis  
& dictis S. PHILIPPI NERII  
præsentim & FRANCISCI SA-  
LESII depromptum. Dignaba-  
tur aliqua, tum temporis, SAN-  
CTITAS VESTRA inspicere, vi-  
saque est illorum lectione dele-  
ctari, cùm, ut sibi eorumdem  
centuria Aquisgranum mittere-  
tur, mandaret. Nos illa sparsa,  
& ab Auctore, minimo rerum  
suarum æstimatore, neglectim ab-  
jecta, in unum fasciculum, quali-  
cumque ordine, collegimus ac di-  
gessimus, eadémque SANCTI-  
TATI VESTRÆ offerre ausi su-  
mus, confisi benignitate toti Or-  
bi

bi Christiano notissimâ, & verò  
maximè testificatione illâ, qua id  
sibi non ingratum fore significare  
dignata est.

Precare ergo benè, S A N C T I S-  
S I M E P A T E R , huic libello;  
ut ille, tamquam è sacratissimis  
Christi manibus benedicti pa-  
nes, in purum rectarum mentium  
transeat alimentum: & sicut ad  
florentem hunc Senem vix ullus  
accessit, qui non melior lætiór-  
que abscederet; ita omnes, qui ad  
posthumum hunc, ideóque infor-  
mem *ε μακαρίτης* fœtum, candidos  
oculos animúmque attulerint, pa-  
ri beneficio perfruantur.

\* \*

In-

Interim, BEATISSIME PATER,  
(quod enixè rogamus) dignare  
quoque benè precari, & Apostoli-  
cam Benedictionem impertiri,  
mihi, totique Congregationi no-  
stræ, quæ SANCTITATI VESTRÆ  
devotissima, ad Sacrorum Pedum  
oscula humillimè se prosternit.

Scribebam in Colle Sichemia-  
no, apud Belgas, Nonis Augusti,  
anno M. D C. LVII. ipso Deiparæ  
ad Nives Festo.

SANCTITATI VESTRÆ  
æternùm devotus

Gerardus Sergeant, *Congregationis  
Oratory in Aspero Colle Pre-  
positus.*